

† R. P. Carolus Hollaender (1)

(Prov. S. Pauli)



Post dolores non paucos patienter ac magno animo toleratos supremum diem obiit R.P. Carolus Hollaender in Sanatorio Sanctae Catharinae urbis Sancti Pauli, die 27 Maii anni 1951. Insidias ei paravit inopinatus ac malignus cancer, et sic cessit e vita antequam quinquagesimum annum ageret, quando concupiscenti animo omnibus laboribus pro animarum salute se tradebat. Certo de eo dici potest: *Consummatus in brevi explevit tempora multa*. Quasi praevidens finem proximum nunquam otiosus inveniebatur. Qua de causa sibi nec quietem pomeridianam indulgebat. Zelus animarum erat vis motrix, qua pulsus, paucos

post ordinationem annos, patriam reliquit et Brasiliam petivit.

Natus est in Godramstein, dioecesis Spirensis, 15 Febr. 1903. Studiis peractis a. 1930 in domo nostra Gars am Inn, Germaniae Sup., iam se totis viribus animarum curae impendebat, quando oboedientia maiorem ei agrum apostolicum paravit. Vir plane oboediens, insperatum iussum amplectitur et continuo alacri animo Bavariae suae valedicit mense Maio anni 1934. Post aliquod tirocinium linguae in domo nostra Penhensi,

---

(1) Liceat moderatori Analectorum huic necrologio ab alio exarato addere ea quae defletus P. van Grinsven ultimo vitae tempore quondam scripsit: « Quoties novus fasciculus Analectorum vel novus numerus RIS huc advenit, mihi est dies recreationis extraordinariae ». Adeo suam religiosam Familiam amabat!

(1) Cf. RIS II, 3, p. 57.

socius Directoris iuvenatus Aparecidae nominatur, quo munere fungitur usque ad mensem Decembrem anni 1936. Tunc, brasilianae linguae satis compos, in variis domibus sese curae animarum devovit. Rector exstitit in domo nostra Araraquarensi a Ianuario 1942 usque ad Februarium 1946. Ad tempus etiam officio parochi functus est in quadam paroecia eiusdem urbis Araraquarae. Totam fere vitam in Brasilia in domibus Aparecida et Penha degit, ubi a nostris officium paroeciale exercetur. Id effecit ut confrater noster fere semper in curis paroecialibus adhiberetur ideoque paucis interesset missionibus. In his curis autem exemplo omnibus semper fuit. Ubi cumque erat, omnes vires maxime impendebat erudiendis pueris. Erga eos magna semper afficiebatur caritate. Itemque maxime curae infirmorum incumbebat. Impiger eos adibat, solamen saltem spirituale eis praebendo, verbis paternis, mitibus ac fide plenis. Comitatus eius, mansuetudo ac simplicitas efficiebant ut ab omnibus diligeretur. In ministerio confessionalis praesertim erat assiduus ac patientiae vere mirabilis. Confessionale petebat ut a mundanis peti solent voluptates, ibique sedebat per plures horas, nec discedebat donec ultimus poenitens confessus esset. Aeque ac benigno animo omnes excipiebat, ruricolos praesertim qui semper eius confessionale circumstabant Aparecidae, quo ex omnibus Brasiliae partibus confluunt ad Mariale Sanctuarium. Exemplar semper exstitit oboedientiae. Superioris nutu ad omnia paratus erat, nulla interposita mora vel excusatione. Ad bonum animarum providendum nullus ei labor unquam durior videbatur.

Totus in his curis erat, cum ei in superioribus vertebrae, ad collum, parvulus, tamen omnibus medicinis renitens tumor ortus est. Simul dolore quasi rheumatico afficiebatur. Re accuratius perspecta, cancer malignus liquido apparuit in spina. Qua de causa, ingravescente malo, Sanatorium ingressus est mense Aprili. In dies invalescebat dolor, ut iam nec dormire posset. Sed vir patiens ac plane voluntati Dei deditus levamen medicinale accipere nolebat, sic effatus: « Si mihi Deus hos mittit dolores, voluntas eius est me eosdem patienter ferre ». Ad quod Soror quae ei assistebat: « Si Deus, inquit, te in Sanatorium misit, voluntas eius est te levamen accipere quod tibi Providentia eius paravit ». Tunc tantum tale a Deo sibi paratum levamen exceperit. Nnunquam ne verbum quidem protulit quod impatientiam innueret. Orationi semper addictissimus, etiam inter dolores nunquam Officium breviarii omisit. Quindecim dies ante obitum utroque oculo capitur, id quod in tantum ei displicet quod amplius breviarium recitare nequit. Recitationem Rosarii orationesque iaculatorias tunc multiplicavit. In die obitus octies tertiam partem Rosarii recitavit. Cum Sorore assistente convenerat, ut, cum se caperet deliratio, ipsi preces aliquas suggereret. Sed tunc, suggerente Sorore preces deliranti, ipse

solus easdem ad finem usque prosequatur, nullo praetermisso verbo; tanta erat ei consuetudo precandi, ut secunda natura videretur.

Bene sciebat morbum illum ad mortem ducturum esse, sed omni cum fiducia mortem expectabat, immo aestuabat caeli desiderio, quod praesertim patefiebat, quando delirio affectus erat. Ei praeceperat Pl. R.P. Provincialis ut novendiale in honorem Servi Dei G. Stangassinger faceret, ad sanitatem recuperandam. Vir oboediens novendiale perfecit. Ultimo die novendialis ab Sorore cubiculum intrante quaerit: « Utrum dormio an vigilo? » Respondenti Sorori eum vigilare sic locutus est: « Certo nunc scio voluntatem Dei non esse vivere me amplius in hoc mundo nec me sanitatem accepturum esse, ne quidem miraculo. Nam P. Stangassinger, comite fratre laico, me invisit dixitque mihi: P. Carole, brevi fiet ut mecum sis in paradiso. Statim ab eo quaesivi: Quando? Ille autem siluit et Frater laicus mihi innuit de hac re quaerendum non esse. Tunc e cubiculo egressi sunt et tu intrasti. Certus nunc sum propediem futurum esse ut moriar ». Et vere duos post dies extremum spiritum trahebat. Convenerat etiam cum Sorore ut illa hora extrema piam cantiunculam ei cantaret in honorem B.M.V., qua petitur ut pia Mater oculos morientis premat. In delirio positus instabat ut cantiuncula ei cantaretur, quod Soror tunc fecit. Praeter momenta delirationis, lucidum semper servavit spiritum, quamquam videbatur id non fieri (quod procul dubio morientibus saepius accidit); nam membra omnia rigida apparebant et oculi signa mortis praebant, quando confrater, qui ei assistebat, dixit eum amplius nihil audire aut intelligere. Soror autem affirmavit eum adhuc omnia intelligere et audire. Ut hoc demonstret, submissa voce in aurem ei dicit: « P. Carole, hora iam est; nunc morieris. Praebe mihi ultimam benedictionem ». Post aliquod silentium, motis labiis, adhuc audiri potuit: « ...et maneat semper ». Stupor cepit Patrem assistentem, cui etiam defletus confrater candide quondam confessus erat se nunquam aliquid Deo negavisse. Paulo post spiritum Deo tradidit. Hora erat vigesima et dimidia. Corpus eius, in domum nostram Penhensem translatum, sequenti die honorifice ac magno concursu populi sepultum est.

Soror nosocoma non dubitavit de eo dicere se non miraturam esse, si se superstitie processus beatificationis eius instauraretur. Re vera, non tantum morientis, sed etiam viventis virtus eluxit, eiusque mors imago exstitit vitae. Optimus religiosus, ad nutum oboedientiae semper intentus, hilari animo et simplici corde omnibus se laboribus dedebat quibus se voluntatem Dei implere sciebat. Vitam complevit sat brevem sed virtute plenam. Ne eius coronae quid deesset, non tantum corporis sed etiam animi poenas patienter tulit. Quae poenae internae oriebantur ex ipsa humana limitatione et incomprehensione. At P. Carolus solatium quaerebat in bonis operibus pro animarum salute. In silentio et spe omnia

ferebat nec de his rebus conquerebatur. Et sic certam habemus spem quod, si bono Redemptoristae perpulchra paratur corona in caelo, hac potitus est P. Carolus vita exemplari quam vixit, et sancto exitu qui tandem paradisi ei portas aperuit.

A. LOVATO

---